

tentia, quam propter præmissa incurrerunt, incestus reatu, et excessibus hujusmodi in utroque foro absolvat, ac ad executionem dictarum litterarum servata, etc., procedat, etc., perinde ac si carnalis copula hujusmodi secuta non fuisset. Prolem, etc., legitimam decernendo, committere dignemini de gratia speciali. Non obstantibus omnibus illis, quæ, etc.

« Et cum absolutione a censuris ad effectum, etc. »

365. *Formula executionis a delegato faciendæ.* — Ad modum dictarum facile aliæ fieri possunt, plures vide apud Corrad., cit. lib. VIII, cap. v.

Resp. III. Si executor capta debita informatione juxta dicta supra n. 301, et n. 359, invenit, preces veritate niti, ac dispensationis litteras esse legitimas, legitimeque obtentas, debet eas exequi, et actu dispensare; idque præstat faciendo prius decretum de dispensando, eoque facto dispensationis litteras expediendo tenoris sequentis.

Formule executionis litterarum dispensationis super tertio et quarto gradu consanguinitatis.

« Nos N. N. reverendissimi et celsissimi, etc., episcopi, etc., in spiritualibus vicarius generalis, ad infra scripta specialiter delegatus, universis et singulis præsentibus visuris salutem in Domino. Noveritis, fuisse nuper coram nobis pro parte N. N. diocesis N. præsentatas, et a nobis, ea, qua decuit, reverentia receptas, ac lectas litteras apostolicas sigillo, et aliis more romanæ curiæ munitas, et subscriptas, in nullo vitiatas, nullaque ex parte suspectas tenoris sequentis; » (hic inseratur tenor litterarum apostolicarum: quod tamen necessarium non est, si litteræ originales servantur in actis, ut bene notat Corrad., lib. VIII, cap. vi, n. 48, dein pergitur): Post quarum quidem litterarum præsentationem et receptionem coram nobis, et per nos, ut præmittitur, factam, fuimus pro parte dictorum N. N. debita cum instantia requisiti: quatenus ad executionem dictarum litterarum, et contentorum in eis procederemus. Nos igitur attentam et servatam illarum formam mandavimus, super expositis in eis capiendam esse diligentem et summariam informationem; per quam reperimus prædictos N. et N., tertio et

quarto consanguinitatis gradibus, uti exponerent, esse conjunctos, et dictam orationem N. propterea raptam non fuisse, omniaque in dictis litteris narrata, et exposita vera fuisse, et esse, ac veritate fulciri. Idcirco (si in forma pauperum expeditæ sunt litteræ apostolicæ, dictis statim jungitur) imprimis præfatos N. et N. separavimus ab invicem, eisque publicam penitentiam, et oratori simul id injunximus, ut tribus saltem mensibus operam suam conferret fabricæ ecclesiæ N. vel loci N. quibus juxta testimonium fide dignum per eos præstitis, ab eisdem juramentum recepimus, quod sub spe facilius consequendæ dispensationis incestum non commiserint, et imposita arbitrio nostro alia penitentia salutari, ipsos in utroque foro absolvimus et hæc ob dicenda infra § sequenti a n. 406. (si vero dispensatio fit in forma communi omissis istis, post idcirco statim jungitur, ut sequitur) recepto ab eis juramento, quod sub spe facilius obtinendæ dispensationis incestum non commiserint, impositaque eisdem salutari penitentia, illos in utroque foro absolvimus. » (Si fit dispensatio in casu, quo copula, vel crimen nullum intervenit, etiam immediate dicta omittuntur, et post idcirco statim pergitur) cum præfatis oratoribus auctoritate nobis commissa servatis servandis dispensavimus, quod non obstante impedimento quarti consanguinitatis gradus hujusmodi matrimonium inter se publice, servata concilii Trident. forma, contrahere, illudque in facie Ecclesiæ solemnizare, et in eo postmodum remanere libere, ac licite possint. Distantiam vero tertii gradus non obstare declaravimus; prolem susceptam, si qua sit, et suscipiendam exinde legitimam decernendo (verba illa prolem susceptam, si qua sit, omittuntur, ubi non intervenit copula): non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, cæterisque contrariis quibuscunque, juxta prædictarum litterarum apostolicarum formam. In quorum fidem etc., die, mense, anno. »

§ VIII.

DE DISPENSATIONE IN FORMA PAUPERUM PRO FORO EXTERNO.

366. *Dispensatio in forma pauperum quare inducta?* — Supra jam dictum habetur, curiam romanam dispensationem concedere

pro foro externo, vel in forma ordinaria, vel in forma pauperum, de priori hucusque ad longum egimus. De posteriori vero in præsentibus § agemus. Pro cujus majori intelligentia prænotandum est; quod paupertas pro casibus dispensationis matrimonialis dupliciter allegari possit, et soleat in curia romana. Primo tanquam causa finalis seu motiva, seu principalis pro obtinenda dispensatione: et aliud non est quam defectus competentis dotis, de quo supra n. 81. Secundo non ut causa principalis obtinendi ipsam dispensationem in substantia, sed ut causa per accidens, et ad id allegata, ut dispensatio concedatur gratis, seu absque compositione, vel taxa pecuniaria, quam dispensati in forma ordinaria solvere debent. Cum enim multi sint pauperes, qui media non habent ad solvendam præfatam taxam, Ecclesia pia mater omnibus providere volens, et ne pauperes destituantur necessariis dispensationis mediis, præter ordinariam, introduxit specialem formam gratis dispensandi cum pauperibus, vi cujus dispensatio facta vocari solet in forma pauperum.

367. *Quid sit?* — Quæritur I. Quid sit dispensatio in forma pauperum? a quo? et ob quas causas fieri possit, et soleat? Resp. I. Dispensatio in forma pauperum est illa, qua pro foro externo ex legitima causa gratis dispensatur cum vere pauperibus, et miserabilibus personis, non habentibus sufficientiam media ad solvendam taxam pecuniariam alias solvitam. Ita in re communis: patetque partim ex terminis, partim ex dictis num. præced. et dicendis statim infra.

368. *Datur non tantum a Papa, sed etiam episcopis.* — Resp. II. Dispensatio in forma pauperum non tantum a Papa, sed etiam ab episcopis (in casibus sibi concessis) fieri potest et solet. caret iterum controversia. Patetque continua praxi, qua videmus, non tantum Papam, sed et episcopos gratis dispensare cum illis pauperibus, qui nulla media solvendi habent.

369. *Curia romana eam ob nullam aliam causam concedit, quam ob præcedentem copulam, vel suspensionem illius.* — Resp. III. Dispensationem in forma pauperum curia romana ob nullam aliam causam dare solet, quam ob copulam, vel suspensionem copulæ inter laborantes impedimento habitæ, vel potius ob mulieris infamiam, et scandala

verosimiliter inde secutura, nisi matrimonium inter eos sequatur. Justis, lib. I, cap. VII, n. 2; Corrad., lib. VIII, cap. v, testantes de constante stylo curiæ. Addit Justis, graviter decipi doctores, qui putant, eam etiam ex aliis causis dari: inter quos est Gobath., tract. 9, a n. 654. quare tamen ob allegatas causas dispensetur, vide supra n. 94 et 95, ubi amplius de his causis.

370 et 371. *Episcopi vero et nuntii etiam ex aliis causis eam concedere solent et debent.* — Resp. IV. Extra curiam, uti apud nuntium, vel episcopum, utpote qui ex privilegio, seu speciali facultate generaliter concessa dispensant, non tantum ex dictis num. præced. sed etiam ex aliis a n. 69. allegatis causis datur dispensatio in forma pauperum, seu gratis. Patet experientia et praxi. Imo si episcopus vi privilegii dispensat, dispensatio cum quovis etiam divite semper gratis, et sic in forma pauperum fieri debet. Ratio est; quia speciales facultates, seu quasi privilegia episcopis Germaniæ, et aliis ab urbe longe distantibus concedi solitæ, semper expresse habent hanc clausulam: « Et præfatæ facultates gratis et sine ulla mercede exercentur; » uti patet ex copia n. 22. allegata.

Nec allegari contra hanc clausulam potest consuetudo contraria, eo quod singulis quadrienniis facultates præfatæ expirent, et de novo peti debeant, ac non nisi cum dicta clausula concedi de novo soleant; intra quod tempus consuetudo non potest legitime præscribi; uti patet ex dictis lib. I, tit. IV, de Consuetud. Consuetudo autem legitime non præscripta nil valeat per dicta arg. c. fin. de Consuetud. ibi: « nisi legitime sit præscripta. »

372. *Pauperes quinam dicantur?* — Quæritur II. Quinam sint, et reputentur pauperes ad hoc, ut eisdem concedatur dispensatio in forma pauperum, seu gratis? Resp. I. quamvis alias nomine pauperum non tantum veniant illi, qui mendicant, sed etiam, qui non habent sufficientiam, quibus se juxta status sui conditionem decenter sustentare possint. Barbos., lib. III, Jur. Ecclesiastici universi, cap. XVII, n. 23 et de Appellat. Verborum Jur. §. Pauper.; Reginald., in Praxi penitent. lib. XXX, tract. III, n. 101; Mascard., de Probat. conclus. 1154, n. 13; Justis, lib., cap. VII, n. 69. ut proin etiam illustres ac nobiles, imo etiam principes, ac duces pauperes sint, ac dici possint, qui,

etsi alimenta habeant, tamen egent iis, quæ ad honestam sustentationem pro status conditione sunt necessaria, ut loc. cit. bene advertit Barbosa. Ac propterea quis pauper dicatur, plurimum iudicis arbitrio decidendum relinquatur, qui attentata personarum, et circumstantiarum qualitate arbitrabitur. Barbosa., *de Appellat. Verbor. Jur. §. Pauper.* n. 4; Justis, loc. cit., n. 70; Gonzalez, *de Regul.* 8, Cancell., Gloss. 4, n. 43; Surd., *de Aliment.*, tit. VII, q. 9, n. 10. Cum universaliter ea, quæ a jure definita non sunt, ac sub certa regula comprehendere nequeant, iudicis arbitrio relinquuntur, l. I. ff. *de Jure deliberand.*

373. *Ad obtinendam dispensationem in forma pauperum, debent oratores esse pauperes et miserabiles.* — Tamen ad propositum non sufficit oratores esse pauperes, sed debent etiam esse miserabiles, ita ut proprio labore et industria tantum vivant. Corrad., lib. VIII, cap. v, a n. 4; Justis, lib. I, cap. vii, a n. 72. Ratio est; quia Papa in suis litteris id tanquam conditionem in sensu copulativo requirit, dicens: « Dummodo ipsi sint pauperes, et miserabiles, et ex labore et industria tantum vivant, » ubi, quia dictio est conjunctiva et copulativa l. *Si quis ita.* ff. *de Verb. Obligat.* non sufficit unum probare, l. fin. § *Fructus.* 6. ff. *Quæ in fraudem.* Accedit, quod verbum miserabiles in litteris additum, debeat aliquid operari, arg. l. *Si quando.* ff. *de Legat. Jur.* cum nil frustratorium aut superfluum debeat contineri in litteris apostolicis c. *Si a Papa.* *de Privileg.* in 6, adeo ut nec syllaba in eis superflue poni aut vacare debeat, can. fin., caus. 28, q. 1.

374. *Ita ut labore et industria tantum vivant.* — Neque sufficit quævis miserabilitas, sed requiritur miserabilitas a paupertate, et defectu honorum nomen habens, ita ut ratione illius labore et industria tantum vivant; prout expresse vult clausula apposita, ubi, cum dictio tantum ex sua natura limitativa sit, restrictiva et exclusiva l. *Non tantum.* ff. *de Petit. hæredit. et l. Adversus, c. Si adversus rem,* quemvis alium vivendi modum excludit. l. *Qui in aliena,* § *Liberos.* ff. *de Negot. gest.* adeo, ut qui alio modo quam labore et industria vivere possunt, pauperes et miserabiles ad propositum non sint, et consequenter neque capaces dispensationis in forma pauperum.

375. *Multi sunt miserabiles, sed non pau-*

peres. — Hinc licet claudi, surdi, cæci, sene decrepiti, diuturno morbo fatigati etiam divites, ex natura dicantur miserabiles personæ; sicut etiam omnes pupilli et viduæ quoad effectum gaudendi privilegio in aliis, uti per jura et doctores satis probat Barbosa. *de Appellat. Verbor. Jur. §. Miserabilis,* tamen ad propositum non sunt miserabiles, si habent, unde vivant absque labore et industria; imo etsi ex his aliqua persona esset simul pauper et miserabilis v. g. nobilis pupillus sufficientia quidem absque labore et industria habens ad alimentationem, non tamen ad honestam status sustentationem, incapax foret dispensationis in forma pauperum, quia deest conditio, « quod labore et industria tantum vivant. »

376. *Non omnes, qui labore et industria vivunt, sunt capaces dispensationis in forma pauperum.* — Resp. II. Non omnes, qui ex labore et industria vivunt, quales sunt v. g. agricolæ, opifices, operarii, mercenarii, etc. sunt capaces dispensationis in forma pauperum. Justis, lib. I, cap. vii, n. 85; Rota, decis. 552, n. 4. p. 4, recent. et alii communiter. Ratio est, quia non sufficit ad hanc conditionem labore et industria vivere, sed requiritur etiam copulative, ut sint pauperes, et miserabiles, uti bene advertit Mascard. *de Probat.* conclus. 1154, n. 36; Lother, *de Re benef.* lib. II, cap. xxxvi, n. 33; Justis, lib. I, cap. vii, n. 86, cum habere artem, et habere bona, æquiparentur, Leoncill. *de Opib. paupert.* p. 1, q. 2, n. 45, constetque passim experientia, plurimos, qui labore et industria vivunt, divites, vel satis habentes esse, aut certe ita pauperes et miserabiles non existere, quin consuetam, et officialibus Romanæ curiæ debitam taxam solvere queant.

377. *Consuetudo contraria non est attendenda.* — Hinc licet Gobath, in *Theolog. experiment.* tract. IX, n. 658, referat, in Constantiensi diœcesi vigere consuetudinem, vi cujus in materia dispensationis pro pauperibus habentur, et consequenter attestatorem paupertatis ab ordinario obtinent omnes illi, qui agricultura, opificio, arte etiam liberali, ut pharmacopæa, se suamque familiam alunt, tamen hæc doctrina in aliis diœcesibus, ubi hæc consuetudo non viget, practicari minime potest, ob dicta superius.

378. *Cum invalida sit.* — Imo nec talem dictæ diœcesis consuetudinem approbare, aut eam pro legitima, vel segura reputare

possimus. Ratio est, quod, licet introduci possit consuetudo contra legem c. fin. *de Consuetud.* tamen nequeunt introduci contra præceptum superioris, seu contra obedientiam per dicta superius, consequenter cum in quibusvis dispensationis litteris apostolicis detur semper novum præceptum, seu mandatum, ut litteras dispensationis in forma pauperum non exequatur, « nisi oratores pauperes et miserabiles existant, et ex suis labore et industria tantum vivant; » contra dictas litteras, eisque incertum mandatum, et clausulas consuetudo introduci nunquam potest; secus foret, si ipsa Romana curia talem consuetudinem approbaret.

379. *Pauper est, qui de præsentibus nil habet.* — Resp. III. Ad dignoscendum, utrum oratores sint vere pauperes et miserabiles, proprio labore et industria tantum viventes, sequentes regulas observare juvat.

I. Attendi debet, an, et quanti valoris bona possideant de præsentibus? si enim nulla bona possident, sed præcise labore et industria vivunt, procul dubio pauperes et miserabiles ad propositum sunt, etiamsi in futurum bona acquirendi ex legato v. g. hæreditate consanguineorum, aut fideicommisso certam spem, vel jus habeant. Alexander de Nevo, consil. 74, n. 12; Innocent. in c. *Significantibus de Officio delegat.* n. 4; Sperell. decis. 156, n. 16; Justis, lib. I, cap. vii, a n. 108. Ratio est, quia a paupertate præsentibus non liberat spes, sed in re; cum sola spes non alat, nec vestiatur hominem, ut cum aliis bene observant doctores citati.

380. *Etsi de futuro multum speret, vel certo obtenturus sit.* — Ex quo inferitur I. Oratores de præsentibus nulla bona possidentes vere esse, et dici ad præsens pauperes ac miserabiles, consequenter capaces dispensationis in forma pauperum, etsi divites parentes, et propterea pinguem hæreditatem acquirendi spem habeant, si eisdem de jure communi, vel lege municipali in vita parentum legitima, vel dos non competit, quales sunt, qui ex aliqua causa ex dictis lib. III, tit. XXVI, a n. 483, exheredari possunt; item quorum parentes quidem satis habentes, sed tamen ob copiam liberorum, vel alias circumstantias, dotem, vel alia media de præsentibus præbere nequeunt doctores citati, atque Sayrus, in *Floribus*, lib. I, decis. 3, tit. 3; Rota, decis. 499, n. 4, p. 1, divers. ob rationes dictas.

381. *Liberi divitum parentum ad proposi-*

tum quando dicantur pauperes. — Dicitur autem notanter, « si de jure, vel lege municipali legitima vel dos eis non competat; » hoc enim si habent, prout habent, si parentes divites exheredandi, vel matrimonio resistendi nullam rationabilem causam habent, pauperes dici non possunt. Justis, lib. I, cap. vii, a n. 92; Mascard. *de Probat.* conclus. 1154, n. 37. Ratio est, quia tunc possunt cogere parentes ad præstanda alimenta, l. 1, cum sequentibus c. *de Alendis filiis*, et dandam dotem arg. l. fin. c. *de Dotis promissis.* Etiamsi sola mater dives sit l. *Si quis,* § *Idem in litteris.* ff. *de Liberis agnosc. et alend.* qui autem habet actionem ad statim acquirendas divitias, seu sufficientia media, pauper non est arg. l. *Qui potuit facere,* ff. *de Reg. jur.* hinc bene dicit Rota, decis. 72, n. 5, p. 4, recent. divitem reputari, qui potest facere, ut dives sit.

382. *Bona oratorum debent computari deducto ære alieno, et oneribus.* — Verum, quia juxta dicta superius dispensatio in forma pauperum non conceditur, nisi ob præcedentem copulam, vel suspicionem; copula autem incestuosa sit magnum crimen, graves secum pœnas trahens, ita, ut si in primo gradu sit, pœnam capitis, in aliis vero gradibus relegationem mereatur, plerumque parentibus ansam præbet, quod vel matrimonio cum incestuosa persona juste resistere, et non parenti proli dotem, vel alia media denegare valeant, consequenter liberi eorum pauperes de præsentibus existant.

383. *Pauper est, qui 50 aureos non habet in suis bonis.* — II. Si oratores, vel parentes eorum, bona habent, debet valor eorum considerari et attendi deducto ære alieno, et oneribus tam ordinariis, quam extraordinariis. Ratio est, quia bona alicujus esse non dicuntur, nisi deducto ære alieno. l. *Mulier bona,* 72, ff. *de Jure dotium.* Non possunt. ff. *de Jure fisci;* et longe minoris æstimanfur bona oneribus præstandis gravata, quam libera per vulgaria.

384. Quod, si oratores deducto ære alieno in bonis quinquaginta aureos non habent, ordinariè censentur pauperes. Corrad. lib. VIII, cap. v, n. 12; Justis, lib. I, cap. vii, n. 69; Mascard. *de Probat.* conclus. 1154, n. 15, textu claro l. *Nonnulli.* 10, ff. *de Accusat.* ibi: « Nonnulli propter paupertatem, ut sunt, qui minus quam quinquaginta aureos habent. »

385. *Et qui ex suis bonis, nullos fructus percipit.* — III. Non debent ipsa bona oratorum, aut parentum nude considerari, sed fructus eorum; quia ad dignoscendum, an oratores sint pauperes et miserabiles, principaliter attenditur non ad ipsa bona, sed ad fructus, quos inde percipiunt, vel percipere possent, si ea locarent. Leoncill. *de Opibus pauper.* p. 1, q. 6, n. 20; Justis, loc. cit. n. 115; Rota, decis. 48, n. 8, p. 2, divers. quia bona habere et pauperem esse, paria sunt; si quis ex bonis fructus non percipit.

386. Hinc si deducto aere alieno, et expensis, computatisque oneribus nil, vel parum remanet oratoribus, coactis propterea, quod labore et industria tantum vivant, vere pauperes et miserabiles censendi sunt. Neque tenentur bona, quæ habent vendere, ut ex pretio solvere queant taxam pro dispensatione, si ex fructibus perceptis, aut percipiendis, vel aliis, quæ habent, solvere non valent, ut bene notat Justis, l. I, cap. VII, n. 115.

387. *Si oratores habent bona, ex quibus saltem aliquos fructus annuatim percipiunt, id exprimi debet.* — Illud tamen notandum cum eodem Justis, loc. cit. n. 117; Corrad. lib. VIII, cap. v, n. 22, quod, si oratores labore et industria alias viventes habeant bona, ex quibus aliquos saltem, et tot fructus percipiunt, ut ex illis annuatim percipiendis per duos vel tres menses anni circiter vivere, consequenter si non totam, saltem aliquam partem taxæ inde solvere valeant, id ordinarii in attestatione exprimere debeant juxta dicenda infra. Quod idem dicendum videtur, si paratam pecuniam habent juxta dicenda infra n. 394.

388. Infertur, pauperes et miserabiles consequenter dispensationis in forma pauperum capaces esse. Primo, qui nulla bona habent, ex quibus fructus percipiunt, indeque solo labore et industria vivunt: quales in his partibus sunt valde multi opifices, et operarii diurni, scribæ, cantores, ludimagistri, etc.

389. *Pauperes ad propositum plures in specie adducuntur.* — Secundo, qui quidem bona aliqua habent, sed valorem 50 aureorum non attingunt juxta dicta n. 384. Ratio est, quia fructus, qui ex hujusmodi bonis etiam locatis percipi possent, omnino modici præsumuntur.

390. Tertio, qui bona aliqua v. g. domum

in valore 50 aureos quidem excedentem, et 400, v. g. vel 500, vel etiam 1000 florenos attingentem, tamen aere alieno gravatam, vel oneribus ita subjectam habent, ut deductis deducendis tot fructus non percipiant, quibus absque labore et industria ultra mensem vivere possent per dicta n. 386, quales in his partibus sunt valde multi opifices, et alii de communi plebe, qui licet domum v. g. hortum, aut agrum habeant, tamen steuræ, exactiones, et alia onera (præsertim belli temporibus, quæ utique etiam considerari debent) præter expensas pro conservandis sartis tectis necessarias, tantum absorbent, ut, si domus v. g. pretium 1000 florenorum attingens locaretur, de locationis fructibus vix 10, ad sustentationem bimestrem non sufficientes remanerent, præsertim si non allodialia, sed emphyteutica, vel vitalitia bona v. g. existunt, prout in partibus nostris valde in usu sunt.

391. Idem dicendum de plurimis rusticis præcipue vero minoribus, qui mediam tantum vel quartam partem boni, seu prædii rustici possident, *nur einen halben oder viertel Hoff haben*, utpote qui hoc tempore pleurumque, vel alieno aere, vel steuris, exactionibus, et aliis oneribus ita gravati existunt, ut, si bona sua locarent, deductis deducendis modicum perciperent.

392. Et hæc vel maxime procedunt, si oratores ex suis nil habentes sunt liberi ita pauperum a n. 388, specificatorum; cum enim in talibus casibus ipsimet parentes bonis indigeant, liberis nil, aut parum, aut certe tantum dare non possunt, ut statum pauperum ac miserabilium juxta hactenus dicta evadant.

393. *Non sunt pauperes, qui ex suis bonis percipiunt notabiles annuos fructus.* — E contra infertur ulterius, pauperes et miserabiles ad propositum non esse I. Illos qui ex bonis suis tantos fructus percipiunt, vel saltem, si locarent, percipere possent, ut absque ulteriori suo labore et industria per totum, vel majorem, vel saltem notabilem v. g. sextam partem anni vivere possint per dicta n. 380 et 385. Nec refert, quod de facto, utpote non locantes, tantum ex bonis non percipiant; dummodo, si locarent, percipere possent; quia, ubi constat ex instructione infra n. 402, ponenda, Papa non tantum considerat, quantos fructus ex bonis quis percipiat, sed etiam quos, si illa locaret, percipere posset.

394. *Aut notabilem quantitatem in parata pecunia habent.* — II. Qui, licet nulla bona immobilia habentes, ex industria et labore tantum vivunt, tamen de facto ex eadem industria et labore, vel aliunde notabilem summam saltem 50 aureos attingentem, in parata pecunia congregatam habent, de quibus, si non totam, saltem partem taxæ consuetæ solvere queunt. Ratio est, quia Pontifex cum iis solis dispensare in forma pauperum intendit, qui ita pauperes et miserabiles sunt, ut ex suis labore, et industria tantum viventes nil aliud, vel saltem nil notabile, unde vivant, habeant, consequenter si notabilem summam pecuniariam, ex qua vivere possunt, paratam habent, jam non amplius ex labore et industria tantum vivere dici possunt. Alias certe pecuniis abundantes opifices et rustici dici possent pauperes et miserabiles contra dicta n. 376, et stylum.

395. *Modica pecunia non eximit a paupertate.* — Dicitur autem notanter notabilem summam 50 aureos attingentem, quia minor summa non facit, quin aliquis aliunde nil habens, soloque labore et industria vivens, pauper, et miserabilis de præsentibus dici, et consequenter dispensationis in forma pauperum capax esse valeat per dicta n. 384. Cui accedit, non esse præsumendum de curia Romana, vel ejus officialibus, quod, si oratores prorsus nil, quam modicam aliquam quantitatem pecuniariam habeant, eadem misellos privare, et sibi pro taxa attribuire velint.

396. *Puella modicam dotem v. g. 50 florenos habens, est pauper ad præsens.* — Ex quo sequitur, puellam, quæ pro dote modicam summam v. g. 50, vel 60, vel etiam 100 florenos in parata pecunia, et præterea nil habens, labore et industria tantum vivere debet, vere adhuc pauperem et miserabilem esse ob dicta n. 384, præsertim quia pecunia ex se non fructificat, et si tali summa quid emeret, emptamque locaret, locatum tantos fructus non pareret, quibus solis per notabilem anni partem vivere posset. Idem est de viro solam modicam hujusmodi summam pecuniariam, et præterea nil habente secus foret, si præter talem summam pecuniariam etiam alia bona v. g. domum haberet.

397. *Oratores ambo debent esse pauperes. Pluralis numerus saltem dualitatem requirit.* — Queritur III. Utrum ambo oratores de-

beant esse pauperes? Item quæ præter paupertatem adhuc requirantur? Præsertim an oratores, et quali indigeant attestatione ordinarii, ut Romæ obtineant litteras dispensationis in forma pauperum? Resp. I. Ad obtinendam dispensationem in forma pauperum non sufficit, unum ex oratoribus esse pauperem et miserabilem, sed omnino requiritur, ambos esse tales. Justis, lib. I, cap. VII, n. 2, Corrad. lib. VIII, cap. v, n. 2, testans de constanti praxi et stylo curiæ, qui stat loco legis per vulgaria jam sæpe citata. Patetque ex ipsa clausula, quæ cum ambos oratores in plurali pauperes et miserabiles asserat, in plurali verificari debet; nam pluralis numerus saltem dualitatem requirit, nec uno contentatur. *Ubi numerus ff. de Test.* Hinc in praxi audiendus non est Gobath, in *Theolog. experiment.* tract. IX, n. 659, ubi probare conatur, sufficere paupertatem alterutrius.

398. *Oratores debent habere attestationem de paupertate ab ordinario.* — Resp. II. Litteræ dispensationis in forma pauperum Romæ non conceduntur, nisi oratores ab ordinario legitimam habeant attestationem de eorum paupertate. Patet ex hodierna praxi et instructione ab Urbano VIII. Ordinarium præscripta, pro capienda informatione de paupertate oratorum, de qua infra n. 402.

399. *Domicilii habitationis.* — Notandum tamen, quod, si oratores, vel unus ipsorum extra locum originis, domicilium habitationis contraxissent, ibique saltem per annum existerent, ordinarius domicilii habitationis de paupertate informationem capere, et attestari deberet, prout ex stylo curiæ docet Corrad., lib. VIII, cap. v, num. 24. Justis, num. 123. Ratio est; quia ordinarius domicilii habitationis præsumitur melius scire statum præsentem oratorum; cum juxta illud tritum dici soleat. » mutatio loci, mutatio fortunæ, » per ea, quæ dicit Bart. in l. *Juris gentium* § *Si ante aditam.* ff. de *Pact.* Debet autem tam ordinarius in sua attestatione, quam oratores in supplicatione mentionem hujus facere juxta dicenda infra n. 403, quatenus dein litteræ ad ordinarium domicilii habitationis dirigi queant.

400. *Ad dispensationem in forma pauperum requiritur justa causa: et quæ?* — Resp. III. Præter paupertatem requiritur etiam justa causa dispensandi, et quidem una ex dictis num. 369. Doctores ibidem allegati testantes de stylo.